

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Dissertationem Moralem De Norma Actionum Humanarum  
Indultu Facultatis Inclytae Philosophicae In Celeberrima  
Academia Lipsiensi die VII. Maii Ann. MDCXCIIIX. H. L. Q.  
C. sub Praesidio Dn. M. Joh. ...**

**Lipsiae, 1698**

§. XXIII

**urn:nbn:de:bsz:31-102642**

lis enunciatur, juxta quam in negotiis singularibus actiones dirigenda sunt: Ait præterea: *Jus legitimum seu voluntarium naturaliter in conventionem esse; quia est in liberos homines & æquales, qui nullam in se nisi voluntate declarata recipiunt obligationem, eaq; ex conventionem esse vel tacita, vel expressa; At liberi, pergit, pars quadam patris sunt, nec inter eos obligatio intercedit.* At enim id falsum, omnem obligationem ex consensu esse, sed ex ipso facto aliquo & beneficio nasci potest; quemadmodum patria potestas ab ipsa generatione descendit, ob cujus inestimabile beneficium obligationem liberis jus naturale injungit. Si quæ autem præterea personæ in Oeconomia sunt, obligantur utique ex suo consensu, eoq; vel expresso, quod plerumque fit, vel saltem tacito.

§. XXIII.

Subdividi lex civilis solet in *scriptam & non scriptam*. Illa dicitur, quæ per expressam sanctionem à Majestate præscripta est. Hæc verò, quæ tacita ejus voluntate constat. Non igitur scriptura ad legis scripturæ, aut ejus absentia ad non scripturæ essentiam pertinet. Appellatur autem lex *scripta*, quòd ab initio, tanquam statim totaliter existens habilis est in scripturam redigi; quæ aptitudo cum in altera specie non detur, inde *non scripta* audit, ut ut ex post facto, salva manente ejus essentia, literis consignari possit. Conf. §. 9. J. d. J. N. G. & C. l. 32. §. 1. d. ll. l. 9. C. eod. & Interpretes Juris Romani passim. Lex hæc non scripta communiter *consuetudo* vocatur; atque ad eam introducendam requiritur 1. Actuum uniformium, non interrupta frequentia. 2. Rationalitas; ne actus sint contra legem divinam naturalem aut positivam suscepti. 3. Temporis diurnitas. Cæterum numerum actuum, & certam mensuram temporis Jus N. non definit; & nec Jure Civili præcisè determinari videtur posse; Sed potius judicis arbitrio relinquendum, ut pro substrata materia, & concurrentium circumstantiarum ratione judicet, an tacite approbatio summæ potestatis intervenisse præsumi queat, necne. Præterea dispesci lex civilis potest in *Fundamentalem*, & *non Fundamentalem*. Illa totum Reipubl. statum concernit, & formulam complectitur regiminis civilis. Hæc autem circa ea, quæ statum Reipubl. non immediatè concernunt, versatur, vid. *Boeckl. Inst. Polit. L. II. c.*

3. p. 136. Solent tamen hodiè Politici, & præcipuè Publicistæ alio sensu voces has accipere. vid. *Reinking. d. Reg. Sec. & Eccl. l. 2. cl. 2. c. 6. §. 3. & 4. Schwed. Introd. in Jus Publ. Part. Gen. cap. I. n. 14. & alibi passim; Amis. d. Jure Maj. lib. 1. c. 2. §. 11.*

§. XXIV.

*Cognatorum Legis nomine venire videntur posse pactum, consilium, jus & permissio. Quæ eò majore cum cura à lege distinguenda sunt, quò frequentius vulgò cum ea confundi solent. Differt igitur pactum in eo potissimùm à lege, quòd illius vis non nisi à spontanea arbitrii nostri determinatione dependet; hæc autem virtutem à voluntate aliena habet. vid. Hobbes. d. Civ. cap. 14. §. 1. Et hinc in pactis cognitio objecti cum obligatione non necessarium nexum, uti in legibus involvit. Conf. Pufend. d. J. N. & G. L. I. C. VI. §. 2. Neque proinde Veteres accuratè satis legis & συνθήκη conventionis vocabula synonymicè usurpant. vid. Gasfend. Phil. Mor. p. 152. Aristot. Rhet. ad Alexandr. c. 1. 2. 3. Boet. Instit. Politic. L. II. c. 3. p. m. 116. Quamvis, si rectè attendas, fatendum sit, eorum plerisque non de legibus quibuscunque, sed iis, quæ in democraticis imperiis feruntur, sermonem esse; uti rectè Boetius & Pufendorfius e. ll. annotarunt; qui posterior tamen nec sic eos omnino excusari, subtiliter ibidem ostendit. Consilii à lege specifica differentia ea est, quòd per id, quid optimum factu sit, sine parendi necessitate ostenditur. Conf. §. 6 j. mand. v. contra. l. 2. §. f. ff. eod. Hobbes d. Civ. c. 1. Et hinc, qui consilium suppeditat, rationes ex ipso negotio eruit, quibus alterius voluntatem inclinet; Legislator autem solà autoritate utitur, & si quandoque legum rationes subditis edit, quòd hodiè in earum processibus fieri plerumque videas, id non ex necessitate, sed libero motu voluntatis facit. Boet. J. P. L. II. c. 3. add. Plat. d. Republ. l. 4. An verò id sit utile, disputat Sen. Epist. 94. Retulimus etiam inter cognata legis Jus, quòd hinc non accipimus pro decreto superioris, sed pro facultate morali faciendi id, quòd lege non est prohibitum; quæ proinde multùm à lege discrepat; cum fundamentum suum in libertate, hæc autem in voluntate superioris habeat; ut hinc, quæ usurpari hinc locutiones solent, dextrè accipiendæ sint. Conf. Pufendorfius d. J. N. & G.*